

99. Papa Clemente VII a Donato de Marinis.¹

Roma, 15 settembre 1524.

Grata familiaritatis obsequia... Cum itaque postmodum parochialis ecclesia sanctorum Silvestri et Dorothee in regione Transiberim de urbe confraternitati societati christifidelium divini amoris nuncupate sub invocatione s. Jeronymi canonice institute perpetuo unita annexa et incorporata ex eo, quod nos unionem annexionem et incorporationem predictas, dilectis filiis modernis confratribus sociis nuncupatis confraternitatis huiusmodi in hoc expresse consentientibus, harum serie dissolvimus, per dissolutionem huiusmodi apud sedem predictam vacaverit et vacet ad presens nullusque de illa preter nos hac vice disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obstantibus supra dictis, nos tibi presbitero et etiam continuo commensali nostro asserenti confratres predictos seu eorum maiorem partem forenses existere premissorum obsequiorum et meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes... ecclesiam predictam, cuius et illi forsann annexorum fructus redditus et proventus vigintiquatuor ducatorum auri de camera secundum communem estimationem valorem annum ut etiam asseris non excedunt,... cum dictis annexis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa etiam providemus...

Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quingentesimo vicesimoquinto decimoseptimo kal. octobr. pontificatus nostri anno secundo.

Orig. con sigillo di piombo nell'Arm. XI, caps. 1, n. 217 (a tergo: A° inc. d. 1525 die XII Novemb. rev¹ confratres presentes consentierunt dissolutioni...). Cfr. *Regest. Vatic.* 1481, f. 288-290.

Archivio segreto pontificio.

100. Salvacondotto di papa Clemente VII per Giovanni Heitmers.²

Roma, 17 gennaio 1526

Universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac quibuscunque in dignitate ecclesiastica constitutis, presbyteris quoque et clericis nec non ducibus, principibus, baronibus, comitibus, nobilibus, officialibus, communitatibus, hominibus et particularibus personis inclitarum nationum Germaniae, Franciae, Daciae, Angliae et Scotiae, aliarumque nationum, ad quas dilectum filium Ioannem Heytmers commissarium et accolitum nostrum³ declinare contigerit, salutem et

¹ Cfr. sopra p. 549.

² Cfr. sopra p. 515.

³ Nel cod. segue inoltre: ad quas ipsum.